Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

in paupertate simplicium. Ceci sunt qui nullius ingenii lumen habent. Claudi sunt qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dum horum vitia in membrorum debilitate signantur: sicut illi peccatores fuerunt qui vocati venire noluerunt. Ita hi quoque qui invitantur et veniunt. Sed peccatores superbi respuuntur: humiles eliguntur. Hos itaque elegit deus quos despicit mundus: quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum. Et tanto celerius vocem dei audiunt: quanto in hoc mundo non habent ubi delectentur. Cum ergo de vicis et plateis ad cenam quosdam dominus invitat: illum populum designat qui tenere legem urbanam conversatione noverat. Sed multitudo que ex israelitico populo credidit: locum superni convivii non implevit. Unde sequitur. Et ait servus. Domine factum est ut imperasti: et adhuc locus est. Intravit enim iam frequentia iudeorum. Sed adhuc locus vacat in regno: ubi suscipi debeat numerositas gentium. Unde subditur. Et ait dominus servo suo. Exi in vias et sepes et compelle intrare: ut impleatur domus mea. Cum convivas suos colligi ex viis et sepibus precipit: agrestem populum .i. gentilem querit. Ambrosius. Vel mittit ad vias et ad sepes: quia hi apti sunt in regno celorum: qui nullis presentium cupiditatibus occupati: ad futura festinant. in quadam bono voluntatis semita constituti. Et quasi sepis que ab incultis culta secernat. et incursus arceat bestiarum. norunt que noverunt bona malaque distinguere. et adversus temptamenta nequitie spiritualis fidei munimine obtendere. Augustinus. Vel venerunt de plateis et viis gentes. veniant de sepibus heretici. Nam sepes qui construunt: divisiones querunt. abstrahantur a sepibus. evellantur a spinis. Sed cogi nolunt. Voluntate inquiunt nostra intremus. Nam sed deus imperavit. Coge intrare. foris inveniatur necessitas: nascatur inde voluntas. Gregorius. Qui ergo huius mundi adversitatibus fracti ad dei amorem redeunt: compelluntur intrare. Sed valde terrenda est sententia que subiungitur. Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt: gustabit cenam meam. Nemo ergo contemnat. ne dum vocatus excusat: cum voluerit intrare non valeat.

in omel. — de verbis domini. — in omel.

Ibant autem turbe multe cum eo et conversus dixit ad illos. Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores adhuc autem et animam suam: non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam et venit post me: non potest meus esse discipulus.

Gregorius. Ad audita celestia premia inardescat animus. Iamque illic cupit assistere ubi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna premia perveniri non potest nisi per magnos labores. Unde dicitur. Ibant autem turbe multe cum eo. et conversus dixit ad illos. Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores adhuc autem et animam suam: non potest meus esse discipulus. Theophilus. Multi enim concomitantes ipsum non ex toto affectu sed tepide sequebantur: ostendit qualem deceat esse suum discipulum. Gregorius. Sed percunctari libet quomodo parentes et propinquos precipimur odisse qui iubemur et inimicos diligere. Sed si vim precepti perpendimus utrumque agere per discretionem valemus. ut eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt et quos proximos novimus diligamus. et quos adversarios in via dei patimur odiendo et fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur: qui carnaliter sapiens dum prava nobis ingerit non auditur. Ambrosius. Et enim si propter deum se renuntiat nimium dicens: que est mater mea et qui fratres mei: cur tu domino tuo anteponas

in omel. — in omel.